





Schäffer  
B. I.  
ab duclorē mirsum  
d. 2. Mart. 1786.

PIKARDIAE TITIUS BAD

ANNA. 1610. 1611.

K. 1000.

CAROLI PHIL. BRÜCKMANNI

Medicinæ Doctoris & Consiliarii Regiminis Aulæ, nec non  
Medici ordinarii Thermarum Embensium Serenissimi  
Principis Landgravii Hasso - Darmstadini &c. &c.  
Præfecturæ Braubacensis & Cattimelibocensis  
Physici

E N A R R A T I O  
C H O R E Æ S T I. V I T I  
E T  
E P I L E P S I Æ

Q U æ  
P E R F O N T E S M E D I C A T O S E T T H E R M A S  
E M B E S E N S E S C U R A T æ S U N T



---

FRANCOFURTI AD MOENUM  
IMPENSIS ANDREÆIS M DCC LXXXVI



VIRO ILLUSTRI

DOMINO

D<sup>RI</sup>. ZIMMERMANN

MEDICO PRACTICO HANNOVERANO

EXPERIENTISSIMO ET FELICISSIMO

CONSILIARIO AULICO REGIS

BRITANNIÆ MERITISSIMO

ETC. ETC.

ET

DOMINO

D<sup>RI</sup>. BRÜCKMANN

SERENISSIMI DUCIS BRUNSIENSIS

MEDICO ORDINARIO CELEBERRIMO

ETC. ETC.

NEC NON  
VIRIS DOCTISSIMIS  
DOMINO  
DR. WICHMANN  
MEDICO AULICO HANNOVERANO ETC. ETC.  
DOMINO  
DR. JOHN. TAVBE

MEDICO AULICO LÜNEBURGO - ZELLENSI  
ETC. ETC.

FAUTORIBUS ET AMICIS SUIS  
ÆSTUMATISSIMIS

HASCE PAGELLAS TOTO ANIMO DEDICAT

Sciphi ad Therinas Embenses  
quarto Iduum Septembris  
Anno MDCCXXXV.

C. P. BRÜCKMANN.

Q. D. B. V.

**A**ratis medicæ periti nostris temporibus, tam recens apertos, quam vetustate corruptos oblivioneque obrutus fontes salutares scriptis, doctissimarum observationum refertis, commendare, aut illorum memoriae nominisque celebritatem instaurare student: sed haud difficile est intellectu, horum scriptorum plerosque quibus fortasse non contigit, esse tam felicibus, ut veteris proverbii, negantis, vino vendibili opus esse hedera, veritatem usu edocerentur, majorem in efficacia horum fontium salutari demonstranda, quam in natura analysique eorum chemica, atque partibus *constitutivis*

A 3 con-

constituentibus enarrandis, posuisse  
operam.

Hoc quidem licet per se non sit reprehendendum, cum experientia, quam propositiones & demonstratio-nes, e principiis chemicis. a priori, ut ajunt, deducet&e, multo majoris esse momenti, optimo cuique videatur me-dico; nihilo tamen minus dolendum est, plurimarum, quæ litteris mandan-tur observationum sanandique ratio-num pretium, in ipsius auctoris fama, eaque sola, esse positum, (1) cum tamen præsens seculum ejusmodi ob-servationum medicarum fertilissimum

sit,

(1) Conferatur Celeberrimi Professoris & Medicinæ Doctoris Baldingeri, arma-mentarium novum pro Podaliriis. Tom. 2.  
Part. I. Pag. 82.

sit, (2) neque facile quisquam reperiatur, quin colligat & scribat, quidquid ipse scitu dignum atque utile censeat: quæ istius modi observationum multitudo, qua, tuanquam eluvione quadam, inundamur, jam nunc tanta est, ut, nisi minuatur, verendum sit, ne brevi parvus sit eorum numerus, qui aut illis fidem habeant, aut lectione dignas eas judicent.

Num igitur videtur mirandum, ex ejusmodi quæ in publicum dantur observationibus & curandi rationibus, fontium medicatorum ope institutis, ipsis salutiferis aquis parum commendationis conciliari solere, quamvis vel

A 4 pri.

(2) Consulatur quod Celeberrimus Baldinus loco citato. Tom. 2. Part. 2

Pag. 155. recentissimarum medicorum observationum lectoribus sollicite injungit.

primis statim annis, ingens ægrotantium, horum recentium, aut restitutorum fontium subsidio sanatorium numerus, literis omni ornatu impressis recenseatur?

Quæ cum ita sint, temerarium fortasse nonnullis videbitur institutum meum, qui tantum qui exstat, animadversionum medicarum numerum his audeam augere paginis: id quod reputas, parum, ut quod verum est confitear, absuit, quin ab incepto desisterem. Sed cum, sicut in omnibus negotiis ita hac etiam in re, abusus non tollat usum, ac observandi & quæ satis comperta sunt, cum aliis communicandi studium tantum absit, ut vituperari queat, ut nihil potius arti medendi majus afferrat incrementum, dummodo ejusmodi observationes caute & provide, non ea,

ea, quas sæpius solent, levitate instituantur & conscribantur; paucissimis hisce de aquis salutiferis tanta quanta potui industria colligendis & explicandis observationibus me haud plane inutilem, medicisque explorandi studiosis ingratam navasse operam, confidere posse mihi videor. Ac licet mihi non sit dubium, haud facile medicorum quemquam, eorum in primis, quorum curæ atque fidei aquæ medicatæ commissæ sunt, fugere, in fontium salutiferorum balnearumque hospitibus eorumque morbis examinandis non sine maximis difficultatibus tantum præstari posse, quantum requiritur, ut judici, ipso usu subiecto, satis fiat; tamen mihi liceat, harum difficultatum nonnullas, easque præcipuas, prius indicare, quam morborum quorundam notatu dignissimorum historiam, non tantum

A 5

cura-

curationis, sed ipsarum etiam affectionum gratia, quam potero luculentissime, exponam.

De ipso morbo & remediis jam adhibitis, medico non raro ab ægrotis subministratur descriptio densissima offuscata caligine & confusione, interdum etiam haud paucis erroribus implicata — Affectuum commotionumque animi vim, uberrimum gravissimorum morborum fontem, ex quo permultæ periculorum deducendæ sunt variationes, sive Symptomata, quæ solo aquæ salutaris usu elui posse, falso putantur, tantum abest, ut reprimant atque ab iis sibi temperent, ut de illis moneri etiam, haud pauci ægre ferant —

Quanta

Quanta porro multorum ægrotantium, non in observando solum, qui balnei & aquæ salutaris usui præscriptus est ordine, sed in medicamentis etiam adhibendis, est negligentia & incuria! — Quot medici, non periti semper, sed circum foranei etiam vel umbratrici doctores, qui multorum hospitum ornant comitatum, præter illum, qui fonti salutifero est præpositus, clam vocantur in consilium! —

Ad quæ omnia & hoc adde, concurrentibus nonnunquam centenis hominibus, medico quanquam peritissimo atque prudentissimo, experientiam usù acquisitam animo recolendi, & secum, ut opus esset, deliberandi, saepe numero otium deesse ac facultatem. — Maxima denique eorum pars, qui fontes salutares invisiunt, tres tantummodo,

tummodo, ad summum, quatuor apud nos commoratur hebdomadas; & cum abierunt, per totam plerumque vitam haud plura de ipsorum valetudine ad aures nostras perferri solent, quam ante adventum eorum noveramus. — Mirum igitur non est, permultos lectores, qui has innumeratasque alias non ignorant difficultates & impedimenta, quibus ægrotorum, aquis salutaribus utentium, laborat observatio atque curatio, dubios & ad suspicionem pronos reddi, ac, ne quid vel auctor in observationibus suis instituendis & consignandis peccaverit, vel ne ipsos in illis perspiciendis atque judicandis quis decipiat error, valde esse anxious. Quorum indicio si mihi licuerit esse tam felici, ut id, quod in prescribendis his animadversionibus collocavi laboris ac studii, haud plane improbe-  
tur,

tur, & ægrotorum vel quorundam tantum inserviat usibus, non vile operæ pretium tulisse mihi videbor. Sed ad propositum pergam.

Duorum nunc morborum, maxima a me exploratorum cura atque diligentia, non solum memoria, sed etiam commisseratione dignissimorum, descriptionem in lucem emittam, quia, mea quidem sententia, tam propter ipsorum historiam, quam propter perfectam atque integrum sanationem, qui publicæ explorationi subjiciantur, non sunt indigni.

Quoniam vero in curando priori, qui in sequentibus describetur, morbo, nullis omnino, in posteriori autem paucis tantum, iisque internis, usus sum remediis, affirmare non dubito,  
hos

hos morbos Thermis Emfensibus, per aliquot jam secula celeberrimis, nisque solis, esse depulso; & cum inde a restituta ægrotantium bona valetudine, quæ vel adhuc perdurat, multi præterierint anni, nec pauci præterea testes, qui oculis suis meam curandi rationem perceperunt, si opus fuerit, produci possint; Arrogantius dictum nemo putabit, has observationes meas, multis aliis aliquanto majorem mereri fidem.

Anno MDCCLXXIX. Idibus Juliis, Puella quædam nobilis arthritica, duodecim annorum, magnis membrorum doloribus laborans, ad nos venit, domiciliumque, una cum amica, quæ ipsam comitata erat, habuit in ædibus *Serenissimi Landgravii Hasso-Darmstadini* sumtibus, juxta Thermas, exstructis. Optimæ erat animi indolis, magnæ graci-

gracilitatis, pallidæ & sublavæ faciei. Circum oculos semper fuscus cutem perlucebat circulus, qualis apud tene-  
riores feminas, tempore negotii luna-  
ris, animadverti solet. Corporis cutis  
eadem erat, quæ faciei, neque tunica  
oculi albuginea naturalem habebat can-  
dorem. Brachium sinistrum, idque  
retortum, flecti non poterat, ejusque  
manus pilaria erat contracta, ita, ut  
in sedendo dorsum illius manus sem-  
per sellæ incumberet, brachiumque  
attolleretur. Quæ brachii formatio  
cum diu jam durasset, liquor articula-  
tionis jamdudum obduruisse, ipsaque  
articulatio manus illius cum radio &  
ulna coaluisse putabatur. Pes sinister  
eadem ratione retro erat inflexus, ita,  
ut calx pedis, dorso adhaerens, moveri  
non posset.

Quam-

Quamquam omnia hujus puellæ membra erant tenerima, tamen neque manus rigidæ, neque pedis retorti, digitus minimus ullo modo incurvari aut flecti poterat, prætereaque hæc ægrota per integrum jam annum loquendi facultate fuerat destituta, & sola aqua, aut calida, aut frigida, cum paucō lacte permixta, sustentaverat vitam. In collo externe nihil cernebatur, quod naturali formæ repugnaret, os vero totum aperiri non poterat, & dentes squalore rubro erant obducti. Arteriarum pulsus debilis erat; Singulis diebus semel ventrem exonerabat, & excrementa reperiebantur coloris aurei, atque mediae consistentiæ.

Quæ omnes morbi hujuscē affectiones cum per se sint memorabiles, initium ejus atque sucessus, quæ referantur,

rantur, non minus videntur digna;  
 & quia haud pauci, iique peritissimi  
 medici in consilium sunt adhibiti, hinc  
 omnia, sicut evenerunt, maxima cum  
 integritate describam.  
 Anni MDCCLXXVII. auspiciis hæc  
 puella, decem tunc temporis annos  
 habens, & multa capacis ingenii do-  
 cumenta exhibens, dum tam tenera  
 ætate & artis musicæ, & linguae gal-  
 licæ cognitionem fibi comparaverat,  
 insultibus catarrhalibus, cum vomendi  
 conatibus, gustu amaro atque acido,  
 stomachique doloribus atque vomiti-  
 bus conjunctis, laborarat; Præterea  
 venter plerumque tantopere erat ad-  
 strictus, ut, multis clysteribus, aliis-  
 que ejus solvendi adjumentis, vix ali-  
 quot excrementa, eaque obdurata &  
 nigra, emitti possent. Iisdem reme-

B

diis

diis viginti diebus continuatis, putridæ, sœpe etiam omni odore privatæ ventris fôrdes eliciebantur, simul vero vehementissimi convulsionum motus oriebantur, ita, ut modo collum, modo inferior maxilla, modo lingua usque ad uvulam, modo aliæ partes retorquerentur. Sæpissime totum corpus concutiebatur, & omnia vicissim membra maximis doloribus afficiebantur.

Tres celeberrimorum peritissimumque medicorum, quicquid in ipsorum viribus positum erat, id omne ad sapandum hunc morbum conferebant; sed nihilominus malum, quod dici poterat Herculeum, tanta in dies cepit incrementa, ut tandem pedes usque ad lumbos attollerentur, brachia penitus contorquerentur, & manus

nus usque ad humeros retraherentur.  
 Respiratio saepe intermittebatur, ca-  
 put atque collum obtorquebantur, fa-  
 cies & pedes modo in anteriorem, modo  
 in posteriorem partem, ad globi for-  
 mam, convolvebantur, & nonnun-  
 quam sequebatur saltatio. &c. &c.

Quæ mala jam commemorata pro-  
 fecto tanta sunt, ut vel fortissimi ho-  
 minis natura iis perferendis vix videa-  
 tur sufficere; Attamen, quo facilius  
 intelligatur, homines etiam maximæ  
 infirmitatis, vehementissima atrocissi-  
 maque nervorum pathemata non solum  
 diu, sine omni detimento, tolerare,  
 sed ab illis etiam liberari posse; hinc  
 ad multo graviora nunc progrediar,  
 quæ jam enarrata, quando satis diu  
 continuant, subsequebantur.

*editio*

B 2

Aegrotæ

Ægrotæ nimirum hujus omni com-  
miseratione dignissimæ, brachium sini-  
strum cum osse humeri, ingenti cla-  
more atque planctu excitato, ita distor-  
quebatur, ut ejusdem humeri caput  
& cubitus situm naturalem omnino mu-  
tarent. Quæ luxatio post horæ qua-  
drantem, admirando modo, nullo ho-  
mine adjuvante, reponebatur, sed ita,  
ut, cum hæc membra in locum natu-  
ralem essent restituta, similis contorsio  
& dislocatio ossium pedis sinistri acci-  
deret. &c.

Omnis hucusque descriptæ morbi  
hujus affectiones, extremitates corporis  
affligentes, quæ initio per tres tantum  
horæ quadrantes, deinde vero integrum  
& dimidiam horam continuabant, sem-  
per eodem temporis momento, tertia  
quacunque hora, quinques vel sexies  
singulis

singulis diebus, redibant. Corporis irritabilitas atque teneritas tanta erat, ut sensu quocunque facilime afficeretur, neque minimum tegumentum patetur: & tantum aberat, ut noctes, diebus tranquilliores ageret, ut neque hæ ab omni convulsione essent liberæ.

Durantibus omnibus his affectiōnibus, puella, ut jam dictum est, nullo alimento, nisi paucō lacte, postea cum aqua permixto, vitam sustentabat; de ipsis vero doloribus illis exquisitissimis atque vehementissimis, qui, saluberimis &, ad propulsandos vermes, nam verminare puellam, verisimillimum erat; præstantissimis Anthelminticis frustra adhibitis, potius augebantur, quam minuebantur, de his ipsis, inquam, doloribus consulebantur Medici

Argentoratenses, Herbipolitani, Mognuntini, Confluentini, Bonnenses atque Göttingenses; quorum postremi præcipue responsum dabant egregium atque doctissimum, triumque quibus tunc temporis ægrota utebatur, medicorum laudabant medendi rationem, quæ non minus, quam hæc ipsa Medicorum Göttingensium responsio, Berolini quoque omni assensu dignissima videbatur. Morbi vero vehementia cum nihilomagis posset debilitari, amicus etiam meus, qui ea tempestate adhuc in vivis erat, Gaubius, Professor Medicinæ Lugduni Batavorum, in Consilium vocabatur. Vir hic longe experientissimus, præcipiebat, ut flores Zinci, atque Oleum destillatum Menthae - Piperitidis, vicissim adhiberentur, quorum ope tandem convulsiones quidem superabantur, manus vero

vero atque pes, facultas loquendi, & ciborum potusque cupido, præter laetis, cum aqua permixti appetentiam, restitui non poterant. Quo in statu mihi, meæque curæ ægrotæ hæc puella Idibus Julii Anno MDCCLXXIX. committebatur, quæ ob virium imbecillitatem, corporisque maciem, sine commiseratione adspici non poterat.

Maxima cura & cautione hanc virginem tractare decreveram; Itaque præcipiebam, ut balneo, cameræ ipsius sinitimo, ex terra quadam Puteolana subalbida & calce, in conchæ formam constructo, ideoque germanice, vulgariter (Muschelbad) vocato, uteretur, quo relicto, Unguentum Saponis martiatum partibus afflictis infricare studebam, sed, propter nimiam, cuius jam mentionem feci, corporis tene-

B 4

ritatem

ritatem atque sensibilitatem, parva tantummodo unguenti illius portione uti poteram; internorum vero medicamentorum usus, locum omnino nullum habebat. Cum balneo, quod pro Du Crestii mensura, habebat duos & viginti caloris gradus, duodecies usa esset, nimia tam brachii, quam Pedis rigiditate, quæ inflexionem ante impedierat, valde jam deminuta, manus pedisque digiti aliquantulum rursus moveri se patiebantur.

Hi salutares aquæ nostræ effectus in dies ita augebantur, ut post septimum & vicecum balneum, & brachium, & pes in statum naturæ convenientem reponerentur, utque ægrotans puella ambulare, brachioque pro arbitratu suo uti posset. Aphonia cum nausea alimentorum remanserat, ita, ut

ut ægrotar anno MDCCCLXXX. VII.  
 Kalendar: Augusti ad repetendum  
 ejusdem aquæ salutaris usum, ad nos  
 rediret. Jam animadvertebam, illam,  
 quamvis omni ciborum genere absti-  
 nuisset, bene se refecisse, loquendi  
 vero facultate adhuc carebat. Corpo-  
 ris integritas tanta erat recuperata,  
 ut in cessu ejus ne minimum quidem  
 pedum animadverteretur vitium. Itaque  
 præcipiebam, ut, ad restituendam, si fieri  
 posset, loquela una cum ciborum ap-  
 petitu, aliquantum aquæ nostræ salutaris  
 (Kränchen vocatæ) cum lacte commistæ,  
 biberet, recentiorumque balneorum in  
 ædificio *Principis Darmstadini* adhibe-  
 retur illud, quod numero secundo  
 insignitur, & pro Du Crestii calo-  
 ris scala, undeviginti semis Gradus  
 habet. Quotiescunque in balneo sede-  
 bat, jussu meo ad mentum usque se-

ontra

B 5

im-

immergebat, simulque, ut per diem  
quam saepissime, gulam aqua salutari  
gargarisaret, collumque oleo — Cam-  
phorae bis quotidie inungeret; illi per-  
suaseram.

Septies cum lavacro salubri usus esset,  
in illo ipso magna virium intentione,  
magnaque difficultate, pronunciavit  
literam A, cum antea, neque interdiu,  
neque noctu, id quod alias in somniis  
saepius evenire solet; vel minimum  
edidisset sonum. Continuabat, ut  
cooperat, usum balnei, & quotidie plu-  
res literas effari poterat, quod tamen  
initio magnopere eam desatigabat.  
Tandem integras voces eloquebatur,  
ita, ut sensim sensimque tota loquendi  
facultas, una cum ciborum cupiditate  
reverteretur.

Anno

Anno MDCCLXXXI. eadem Puella,  
ad animi corporisque vires recupe-  
randas, postquam hiemis tempore ve-  
hementissima febre catarrhalis, quæ  
tunc temporis epidemice grassata fuerat,  
laborarat, matre, exeunte hieme, fe-  
bri lenta mortua, cum patre atque so-  
roribus Thermas nostras revisura, huc  
redibat. Pater quidem vel adhuc opti-  
ma incolumitate fruitur; sorores au-  
tem, quibus pallidus potius, quam  
rubicundus, faciei color est, in ætate  
tenerrima, cum gravissimis morbis  
conflictatae sunt.

Plures quidem, huic haud dissimiles,  
casus literarum monumentis consignati  
reperiuntur, & Doctor Albrechtius,  
Peinæ natus, in Episcopatu Hildesiensi,

Puellæ

puellæ cujusdam historiam describit (3) cuius ex brachio sinistro, convulsiones etiam in pedem ejusdem lateris penetrabant, donec totum corpus illis afficiebatur; sed terror quidam dolorum illorum, nullo modo explicandorum, fons atque origo fuerat. Unde vero hoc, de quo mihi sermo suit, malum, quod præterea insultus miri, fidem ferme excedentes, comitabantur, Floribus-Zinci atque Oleo destillato Menthæ-Piperitidis denique depulsum, ortum traxit? Zinci-Flores Medico Albrechtio etiam, in tertio impetu, qui duos priores vehementia longe superabat, multum auxilii præstiterunt.

Cum

(3) Vid. Armentarium novum Cll. Balldingeri, Tom. I. Part. III. Pag. 241.

Cum vero Doctor Hort, (4) Hurlebusch (5) Percival (6) & Gaubius, (7) iisdem floribus in morbo spongico corporisque convulsionibus multum efficaciam inesse, ipsa experientia edocti, maxime illos commendarint; Nonne mirandum est, multorum, qui jam ante Gaubium in consilium vocati fuerant, medicorum, ne uni quidem Zinci flores, eorumque utilitatem in men-

tem

(4) Diff. Inaug. de Zinco, ejusque florum usu medico, observationibus confirmato, Resp. Jacobo Hort, Roterodamo-Batavo, Lugd. Batav. 1772.

(5) Diff. Inaug. Zincum Medicum inquiringens. Resp. Gerhardo Ludovico Hurlebusch, Wunstorphio - Hannoverano. Helmstadii 1776.

(6) In Medicis & Philosophicis Commentariis Vol. II.

(7) In adversariis var. Argument.

tem venisse? An aliorum fortasse medicorum, ipso usu confirmata testimonia, iisdem de floribus, adhuc exspectanda videntur?

Quodsi Lactucæ Virosæ Extractum, tantæ virtutis est, quantæ Dürande<sup>(8)</sup> illud esse prædicat, & si tunc temporis præcipue hanc virtutem exserit, cum in febribus biliosis acrimonia nervos afficit, atque tanta vi irritat, quanta neque purgandi auxilia, neque antifebria illos irritare valent; necesse est, ut idem illud Extractum ægrotæ meæ, cuius in morbo judicando, bilis mihi convulsionum plurimarum caussa fuisse videtur; multum subsidiū attulerit: sal-

(8) Videatur Collectio Selectarum Observationum ad usum Medicorum — Practicorum. Tom. VI. Part. I. Pag. 189.

tem hoc in optatis habeo, ut alii medici, quibus plus otii atque frequenter est occasio, similibus in casibus periculum hujus remedii faciant.

Morbi, quem ego tractavi curative, initium permultum mihi conferre videtur, ad corroborandam meam de bilis indole parum naturali, sententiam, multiplici fortasse catarrhi impetu, auspiciis Anni 1777. mutatae; & pallidus faciei atque totius cutis color multo majoris adhuc, ad eandem sententiam stabiendam est momenti. Attamen etiam hic unicuique largior, bilem, quamvis hac nostra aetate omnia fere corporis mala ex illa deriventur, multorum morborum, qui dicantur biliosorum, per se fontem non esse, propterea quod ipsa originem potius ex sanguine habeat, & natura,

per

per ipsius fabricam, illa se exoneret.  
 Quis vero est, cui intestinorum cum  
 cute, quæ præcipue hac in ægrotâ tam  
 facile quocunque tacitu afficiebatur,  
 ut caput, comis densissimis coopertum,  
 ne tegumentum quidem ferret, arctis-  
 simus Consensus, sit incognitus? Quot  
 cutis nervorumque vitia deducenda  
 sunt exprimitis alimentorum viis? Non-  
 ne gravissimæ membrorum externo-  
 rum convulsiones, sæpiissime ex solo  
 intestinorum impulsu oriuntur? Quam  
 absolum, quamque absurdum, ejus-  
 modi malis si externis remediis, ini-  
 tio præcipue mederi fueris conatus!

Uberiorem hujus rei exposicio-  
 nem, luculentissimis collustrandam ex-  
 emplis, in aliud tempus reservo, ubi  
 dilucidissime comprobare studebo,  
 similes membrorum affectiones ex bille  
 acriori,

acriori, ejusque natura corrupta, aut depravato Gastrico &c. succo, si ea nervorum accesserit indoles, quæ ad quemcunque sensum percipiendum facilis est, frequentissime proficiuntur.

Nunc ad secundi Casus descri-  
ptionem progredior.

Puella quædam duo de viginti nata annos, unica parentum, magnis fortunis, bonaque corporis valetudine prædictorum, filia, cui magna corporis proceritas & pinguedo, atque caput paululum fuit crassius, terrore quodam, cum in menstruis esset, tanto pere percellebatur, illa ut statim intercluderentur. Multa quidem, ut pro fluentia redderentur, maxima cum celeritate adhibebantur medicamenta, sed omnibus frustra suscepitis, & aliquot

C

jam

jam diebus præterlapsis, vespri, hora nona, convulsiones animadvertebantur. Divites magnoque mœrore afflicti parentes neque operæ neque sumptibus parcebant, ad opem suavissimæ filiæ, quippe quæ ceteris liberis numerosis defunctis sola adhuc superstes erat, ferendam.

Plures jam præterierant anni, neque quidquam ad malum superandum, menstruasque sanguinis fluxiones restituendas, contulerant præstantissima & prudentissima vel experientissimorum medicorum consilia.

Convulsionum impetus sigulis diebus, audita hora nona vespertina, renovari soliti, in vultu præcipue animadvertebantur; ita, ut os atque oculi horribili modo contorquerentur,  
manus

manus vero & pedes, plerumque rigentes, omni movendi potestate privarentur.

Binas semper horas durabat morbi impetus, quibus præterlapsis, convulsionibus cessantibus, ægrota somno profundo videbatur sepulta, in quo sæpiissime, id quod maxime in admirationem abripiebat, omnia, quæ fecerat, legerat, scripserat aut secum constituerat, tanta elegantia atque venustate pronunciabat, quanta nunquam vigilans loqui poterat. Dum sic requiescebat, præter omnem exspectationem, convulsiones in vultu præsertim instaurabantur, quæ alternis vicibus cum somno profundo, duas horas durabant, donec in postremo impetu brachia atque pedes septies, vel octies, brachia sæpius etiam, magna vi, a corpore

pore propulsarentur. Tunc ægrotæ statim mentis compos rationi convenienter loquebatur; Sed de vehementissimis capitis doloribus, quos etiam ante morbi impetus aliquantulum jam senserat, unde semper ante illos cubitum ire consueverat, membrorumque de lassitudine, conquerebatur. Quæ ipsi acciderant, ne minimum quidem eorum ex animo ejus effluxerat; & post per breve tempus omnis morbi vis sic evanuerat, ut eam nulla omnino infirmitate laborare putasse.

Initio Mensis Junii Anno MDCCCLXXIX. Thermis aquisque salutaribus Embensibus, ad hoc malum debellandum, utebatur: Alvum cum purgasset, quotidie aquas nostras, (9) bibebat,

(9) Menstruis minutis, aut difficulter profluentibus, Thermæ & aquæ salutares Emb-

bibebat, neque ullum amplius remedium adhibebatur, quia nimis frequens medicamentorum usus ægrotæ fastidium illorum crearat.

Magna cautione atque cura ægrotantem quotidie aliquod tempus lavatum ire in balneum jussoram, sed ita, ut hoc exiguum temporis spatium in dies prorogarem, donec integrum horam completeret. Tertio quoque die, sub vesperam, me suasore pedum lationem suscipiebat; septimo autem die balneum intermittebat.

C 4                   Impe-

Embsenses ad ipsum fontem haustæ, tantæ efficaciæ sæpius fuerunt, ut, propter nimiam ventris solutionem, & vim emenagogam, quotidianam potionis mensuram valde deminuere cogerer.

Impetus & recursus morbi, cui saepius maxima cum attentione sic interfui, ut semper accuratoris uberiorisque cognitionis incrementa caperem, postquam Thermarum usus, & lavando, & bibendo tres hebdomadas continuatus fuerat, sensim sensimque infractus minuebatur.

Quod cum parentes animadvertisserint, me auctore, integrā æstatem ad aquas salubres nostras commorabantur, eundemque curationis ordinem, quem ipsis præscripsérām, quām studiosissime observabant.

Totius tandem morbi vis cum tantopere imminuta esset, ut ejus impetus ne dimidiā quidem horae quadrantis partem duraret, aegrota, pro more suo, ante horam nonam Paroxysmi

ysmi redditum exspectante, & in lecto  
cubiculari procumbente, exeunte Au-  
gusto, malum penitus propulsum tam  
subito cessabat, ut Puella aliquot tan-  
tum temporis momenta vehementissi-  
mos dolores, magnamque capitis gra-  
vitatem sentiret, quæ tamen, ipsa fa-  
rente, multo minoris erant atrocitatis,  
quam durantibus fuerant convulsionibus.  
Quam infirmitatem ut penitus tolleret,  
lubentissime adhuc aquis medicatis, tam  
potando, quam lavando, utebatur,  
donec morbi imperus non solum om-  
nino cessabat, sed hi etiam dolores,  
~~indices~~ magis magisque imminuti,  
penitus tandem desinebant.

Bona corporis valetudine sic repa-  
rata, Caramenia quoque restituebantur,  
& ægrota mea, cum parentibus ex-  
eunte Septembri, plane sanata, reli-  
ctis

ctis Thermis Embensibus, in patriam  
redibat.

Non ita pridem comperi, hanc  
virginem An. 1781. tempore aestivo,  
febri acuta laborasse; at non convalevit  
solum, sed nunc etiam nupta, optima  
adhuc fruitur valetudine.

mc.


Ne 1073

**ULB Halle**  
005 315 018

3







CAROLI PHIL. BRÜCKMANNI

Medicinae Doctoris & Confiliarii Regiminis Aulae, nec non  
Medici ordinarii Theriarum Embesensium Serenissimi  
Principis Landgravii Hasso-Darmstadini &c. &c.  
Præfecturæ Braubacensis & Cattimelibocensis  
Physici

ENARRATIO  
CHOREÆ ST. VITI  
ET  
EPILEPSIÆ

PER FONTES MEDICATOS ET THERMAS  
EMESENSES CURATÆ SUNT



FRANCOFURTI AD MOENUM  
IMPENSIS ANDREÆIS M DCC LXXXVI